



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lvdovici || De Ponte Vallis-||Oletani, È Societate ||  
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In  
Qvo-||libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

**Puente, Luis de la**

**Coloniæ Agrippinæ, 1625**

Serenissimo Principi Ac Domino, D. Vvolfgango Vvilhelmo, Comiti Palatino  
Rheni, Dvci Bavarix, Ivliæ, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39637**

SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO,  
D. VVOLFGAN-  
GO VVILHELMO,  
COMITI PALATINO RHE-  
NI, DVCI BAVARIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ ET  
MONTIVM; COMITI IN VELDENZ, SPONHEIM,  
Marchia, Rauenspurg & Mörs, Domino in Rauenstein, &c.  
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.



AFFECTVS ille tenerior, qui pijs subditis, erga Prin-  
cipes suos Catholicos innatus est, me iam antè  
commouit, SEREN. MC PRINCEPS, vt in publica Ca-  
tholicorum, de Optatissima Seren. T. 2 ad Fi-  
dem conuersione, concepta lætitia, rationes e-  
iusdem conuersionis, typis meis (quò ad pluri-  
um manus, non sine fructu peruenirent) euulgarem; & post-  
modum, cum eadem rationes, addita fusiori explicatione tan-  
quam FVNDAMENTA MVRI CIVITATIS Sa. 12 recudendæ forent, eas-  
dem, sub nullo alio, quàm sub Seren. T. 2 nomine, in cætero-  
rum manus venire exoptârim.

Nunc verò, noua denuò, ex inauguratione Neoburgica ac  
Ducalis sacelli consecratione, concepta lætitia, animos mihi  
rursus addidit, vt eundem illum affectum absens licèt, ac magnâ  
locorum intercapedine seiunctus, nouo item obsequio, ac mu-  
nusculo chartaceo declararem. Submissi itaque, tanquam lega-  
tos honorarios, quatuor egregia Reipub. à Deo benè constitu-  
tæ temperatæ lumina atque columina, duos Reges ex veteri, ac  
totidem Imperatores ex nouo Testamento (quos in ipso libri  
Frontispicio exprimendos curau) vt vel ipso eorum conspectu,  
Seren. T. 2 ad officium sibi à Deo commissum perfectiùs ex-  
equendum, non leuiter excitetur.

Ser. mi Ne-  
oburgici  
conuersio.  
Anno.  
1614.

\* 2 Cernet

Salomon.  
Io. Pineda  
in libris 6.  
de Salam.

2. Paral. 17.

Iosaphat.

Baron. to. 3.  
Constanti-  
nu.

Anno 324.

Baron. to. 9.  
Carolus  
Magnus.

Bar. 28. Iam.  
Tabula  
Ecccl. Aqu.

Cernet enim animo atq; in memoriam reuocabit. IN SALOMONE diuina electionem, sapientiam, felicitatem, magnificentiam, diuitias, populi amorem (quàm diu Deo adhæsit) aliaque bona plena manu à Diuinitate in ipsum collata.

IN IOSAPHATO videbit pietatem eximiam, fortitudinemque admirabilem, ex Dei fiducia conceptam, qua lucos, & excelsa, à multis antea Regibus, contra verum Dei cultum permiffa penitus sustulit, & missis per totum regnum Leuitis, qui subditos Legem Dei docerent, virisq; Principibus, qui illis auctoritatem facerent, adiunctis, mirabilem sui amorem, in toto DEI populo suscitauit.

IN CONSTANTINO verò, primo Christianorum (quod ad publicam professionem, & liberam Fidei promulgationem spectat) Imperatore, mirari poterit, non tantum fauores illos diuinos, quibus euidenti sæpè miraculo, contra Imperij, fideiq; hostes ac Tyrannos adiutus est, sed multò magis pietatem quandam ac munificentiam singularem, qua Ecclesias plurimas, ac præcipuè ROMANAM (in qua Fidem, Baptismumque susceperat) infinitis propè bonis, priuilegijsque dotauit.

At in CAROLO MAGNO, seu potius, ut eum Baronius vocandum censeat, TER MAXIMO IMPERATORE (ad quem non pauci, BAVARICÆ DOMVS stirpem deducunt) eximia religio, doctrina, fortitudo bellica, liberalitas, aliaque virtutes viro Principe dignæ ita refulcent, ob Ecclesias erectas, fundata monasteria, Academias excitatas, fidemque Christianam multis locis vel primo inductam, vel denuò restitutam stabilitamque, ut eum BEATI titulo fulgentem, GERMANIÆ nostræ APOSTOLVM multi deprædicent.

Horum itaque, tanquam Legatorum honorariorum, in hac communi letitia, conspectu, confido Seren. tem T. am ad omnes boni Principis partes, & maximè ad antiquam pietatem, Dei que cultum reuocandum, commotum iri. Ad quod nos parum conferret, & donum ipsum, quod offerunt, & signum, quod præferunt. Donum est P. LVDOVICI DE PONTE Soc. t<sup>is</sup> IESV Theologi, viri doctissimi pariter, atque pijsissimi Opus, in quo, de PERFECTIONE CHRISTIANA ita differitur, ut qui illum attentè

legerit,

DEDICATORIA.

legerit, & obligationem, qua ad perfectionem consequendam tenetur, multò clarius intelligat; & media, rationesque, quibus ad eam (etiã in statu politico ac seculari constitutus) peruenire possit planè, dilucideque pro cuiusque captu propositas atque explicatas inueniat, sic enim ille, priori Tomo, diuinæ Vocationis vim, dignitatem, varioque gradus ac fructus persequitur, vt interim Perfectionem, quæ in Baptismo ac Confirmatione homini infunditur, non taceat, vt nec illam, quæ in Pœnitentia, ad perfectam reformationem confertur, intactam relinquit: sed præcipuè in eximia illa ac planè cœlesti SS. Eucharistiæ efficacitate, velut omnium gratiarum fonte explicanda, ita multus est, vt admirabiles eius effectus ob oculos ponat, quos effectus tum in sacris Ministris, ad officium suum disponendis, **ORDO**, tum in omnibus Christianis ad extremam illam luctam cum humani generis hoste subeundam, **EXTREMA VNCTIO** vehementer augment, conseruant, atque consummant.

In posteriori verò Tomo, mirabili Ecclesiæ seu Reipublicæ Christianæ (quæ tam varijs gradibus constat) pulchritudine ante oculos posita, in intimos illos diuinæ prouidentia recessus, quæ vnumquemque ad statum sibi conuenientem mirabiliter deducit, ac contra tentationes occurrentes munit, iucundè admodum ingreditur, explicata tum priuatæ Oeconomix, inter Dominos, seruos, æqualesque informandos ratione, tum publica politica administrationis forma, virtutibusque, in ea necessarijs, vt quiuis ad Perfectionem sibi propositam tendat. Eos tandem, qui in statu Matrimonij, ac Viduitatis versantur (nam aliorum statuum in formationem, in alios Tractatus consultò distulit) ita doctè, piè, sapienterque Exemplis ex S. præcipuè Scriptura propositis, virtutibusque coniugum atque officijs explicatis informat, vt eo perlecto, multis ad perfectionem Christianam pro suo statu consequendam, calcar additum iri mihi certò persuadeam.

Quibus omnibus Coronidis loco accedat, fulgens illud Sacrosanctæ **CRVÈI** vexillum, quod manu præfert Constantinus, cum celebri illa inscriptione: **IN HOC SIGNO VINCE. TI-**

Primi Tomi  
Summari-  
um.

Secundi  
Tomi con-  
tenta.

Euseb. l. 2.  
Vit. c. 7.  
Gretserus de  
cruce l. 1. c.  
72.

bique

EPISTOLA DEDICATORIA.

Signum S.  
Cruis.

Euseb. l. 4.  
vi. 19.

biq̄ue simul, si Dei atque Ecclesiæ causam ages, fiduciam præsta-  
bit, vt omnes tibi obiectas difficultates, tandem aliquando, cœ-  
lesti diuini numinis ope protegente, perfringas atque exuperes.  
Omnes verò fideles tibi subditi communem illam precem,  
quã populus, militesq̄; pro salute Constantini Imperatoris fun-  
debant, solenni hac formula conceptam: *Abs te precamur, vt C. I.*  
*quàm diutissimè nobis saluum & victorem conserues*, tibi pariter ap-  
precabuntur, orabuntq̄ue vt Seren.<sup>tas</sup> T.<sup>a</sup> salutari Viuificæ  
CRVCIS vexillo munita, hostes omnes suos, tandem  
aliquando foeliciter, ac cum multorum  
salute deuincat,

